

3115

C O D I C E S

3116

politano? Solebant *Miniatores Itali* in fronte *Codicum* etiam impressorum informare Coronidem aliquam, vel Scutum, eaque vacua relinquere, quo deinceps ad emtorum lubitum Insignia, aut Emblemata reciperentur, quod multis exemplis doceri possit. Scuti nostri pars sinistra colores Gentis illustris *Cibo* praefert, in quam cooptatus fuit *Hier. Calagranus* noster ab *Innocentio VIII.* ejus Gentis, cui a secretiori Cubiculo fuit. Cum vero majores *Innocentii* multum *Neapoli* versarentur, fieri potuit, ut *Codex* hic ab iis ad *Innocentium*, ab hoc vero ad *Hieronymum* perveniret. Fuit ille patria *Fossanensis*, Sedemque *Montis Regalis* ab a. 1490. ad an. 1497. laudabiliter tenuit. Vide *Ughellii Italiae sacr.* T. IV.

DCCCLXXVIII.

735 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 249. 4. elegantissime descriptus, marginibus et Literis initiorum auro fulgentissimis et admirabili colorum varietate oculos delectantibus, praeter complures minores Sanctorum imagines majoribus 29. ornatus, quae partim Servatoris Mysteria, partim *Jobi* Historiam exhibent, *Precatorius* est, sive *Horarium* hoc ordine procedens: *Calendarium*. *Horae de Passione Domini*. *De Spiritu S. Initia IV.* *Evangeliorum*. *Orationes ad Deiparam*. *Ejus Horae*. *Psalmi de Poenitentia cum Litanis*. *Officium Defunctorum*. *Responsoria de variis Sanctis*. *Calen-*

darium lingua *gallica* exaratum, *Precesque* variae hac lingua inscriptae pulcherrimo huic artis graphicae et pictoriae *Exemplo patriam Franciam aut Belgium* adsignant.

DCCCLXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 706 XV. Folior. nunc 204. 4. Liber *Precum* sive *Horarium* (*Heures*) est, in *Gallia*, ut *Inscriptiones* plures lingua illius Gentis conceptae innuunt, nitide exaratum, auro coloribusque, et XII. *Picturis* *Vitae Christi* mysteria repraesentantibus speciosum. Praeit, ut solet, *Calendarium*, cujus tamen primi IV. *Menses* exciderunt. *Ordinatio sancti paterni* ad diem 21. *Maji* auro scripta argumento est, primum olim Possessorem in *Vennetensi Britanniae* Minoris *Dioecesi* vixisse, cui a. 540. *Paternus II.* datus est *Episcopus*, ordinatus antea *Jerosolymis* a *Patriarcha Jobanne III.* ut habes apud *Bolland.* et *Baillet* ad diem 15. *Apr.* quorum posterior, qui *Festum Translationis S. Paterni* diei 21. *Maji* adsignat, fortassis e *Calendario* nostro emendandus est. Obiter observo in *Serie Episcoporum Vennetensium* apud *Richard. T. V. Diction. des Scienc. Ecclesiast.* p. 482. unicum *Paternum*, eumque ad an. 465. occurrere. Testatur praeterea *Calendarium* nostrum *Translationem S. Benedicti* ad diem 11. *Julii*. *Ipsius Horarii* *Partes* potiores sunt: *Officium B. V. M.* *Officium de Passione Christi*.

3117

LITURGICI

3118

fti. Collectae de variis Sanctis. Pfalmi Poenitentiales cum Litanis, in quibus variorum peculiarium Sanctorum occurrunt nomi-

Inflammata et accensa

Officium de Trinitate. Complures demum Rhythmi et Orationes de variis Sanctis, titulis plerumque *gallicis*, ubi noto, pro *Antiphona* poni *Anteyne*, *Antbaine*, ad quae majori jure referri poterit anglicum *Antbem*, quam ad graecum *Ανθουμος*, quo retulit *Sam. Johnsonus* in *Dict.* Antiquitatis ecclesiasticae minus gnarus.

DCCCLXXX.

956 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 186. 4. probe, et quidem usque ad *fol.* 35. in paginis atratis auro, argentoque perscriptus, literis initiorum, marginibusque omnibus cum auri, tum picturarum omnis generis sacrarum, profanarum, feriarum, ridicularum, hinc inde tamen calamo duntaxat designatarum feracissimis, Iconibus insuper XX. grandibus piis perquam splendidus *Horarium* est, usibus Principis cujusdam Feminae, ut videtur, paratum. Initium ducit a *Calendario*, cui nec Zodiaci Signa, nec Georgica a perito penicillo defunt. Aurei in eo 22. Jan. *Vincen-tius mart.* 9. Oct. *Dionysius ep.* 13. Nov. *Livinus Archiep.* 14. Dec. *Nichasius Archiep.* unde in *Belgio*, Artis hujusmodi pictoriae olim sede, adornatum scias, quod

na. Officium Defunctorum. Hymnus: *Stabat Mater*, quem pro Femina scriptum liquet e Versiculo:

Per te, Virgo, sim defensa &c.

e *gallicis* quibusdam Rubricis itidem confirmatur. Sequuntur VII. Gaudia Deiparae, quibus praefixa Icon ejusdem in Templi cujusdam medio confidentis adgeniculante ejus finistrae Viro quodam juvene, dextrae vero Matriona puellis stipata. At vero infra Iconem majori forma haec ipsa Matriona sedens, librumque adtente legens, catello in gremium recepto visitur, pileo illo turrato conico, a cujus apice velum defluit. Nihil ausim pronuntiare, cum nota heraldica nulla compareat. Succedunt IV. Evangelia totidem Scriptorum, Missa de Beata, Horae de Passione, de S. Spiritu, de V. *Maria*, Preces ad Coelites diversos, Pfalmi de *Poenitentia* cum Litanis, demum Vigiliae Mortuorum. Ut semel dicam, quod saepe mirari subit, Majores nostros Libris, e quibus orationem faciebant, tot *Aegri somnia*, tot *Hircocervos*, *Vulpanferes*, et quae *Flaccus* Artis poeticae suae initio commemorat, adpingi passos fuisse, quibus ad animum, quem precatio collectum postulat, dissipandum vix quidquam efficacius.

Ad calcem Codicis inserta est Membrana coeva 2. *fol.* cujus *pagina* 1. interior depictam exhibet *Ἰεσοθνητον*, et in ea Hostiam